

diripiant; in nullo est dubium, quod illæ indultæ gratiæ munus abhorreat, qui ad eam accedere ardenti animo non festinat. Proinde si quis iudæorum de his scilicet, qui adhuc nondum sunt baptizati, aut se baptizari distulerint, aut filios vel famulos suos nullo modo ad sacerdotem baptizandos remiserint, vel servos, quos de baptismo reduserint, et vel unius anni spatium post legem hanc editam quispiam illorum sine gratiæ baptismi transegerit, horum omnium transgressor, quisquis ille repertus exstiterit, C. flagella suscipiat, et decalvatus debita mulctetur exsilii poena. Res tamen eius in principis potestate permaneant, quilater si incorrigibilem, durioresque eum, ostenderit vita, perpetua in eius, cui eas princeps largiri voluerit, potestate persistent.

IV. — *Ervgius Rex.*

Ne iudæi more suo celebrent pascha, vel carnis circumcissionem exercent, ac ne christianum quemcumque a fide Christi commoveant.

Si obstinata iudæorum perfidia non tam figuris, quam veritati observantiam legis impendere, numquam dominum gloriæ crucifixissent. Pascha enim nostrum immolatus est Christus, et si cordis nobiscum circumcissione gauderet, adumbratam illam corporis expoliationem nullo modo in carne exprimeret, propheta dicente: Circumcidimini domino, et auferte præputia cordium vestrorum. Vnde nos non iam figuris prætereuntibus inhærentes, sed veritatis promissionibus certiores, id omnino observandum præcipimus: ut si quis iudæorum ritu suo pascha celebraverit, centenis is verberatus flagellis et turpiter decalvatus, exsilio diutino mancipetur, et res eius fisco associandæ sunt. Illi vero, qui carnis circumcisiones iudæis vel christianis exercere præceperint, quisquis talia intulerit, aut fieri ab altero permiserit, retræ ex toto amputatione plectetur, et res eius fisci iuribus sociandæ sunt. Mulieres tamen, quæ aut circumcisiones exercere præsumpserint, aut circumcidendos quosque cuiuslibet circumcissorii obtulerint, naribus absicis, et rebus suis omnibus in principis potestate reductis, luceant facinus suæ præsumptionis. Simili quoque poena et illi plectendi sunt, qui christianum vel christianam a fide dimoverint Christi, vel ad ritum iudæicæ prævaricationis adduxerint.

V. — Ne iudæi sabbata, cæterasque festiuitates suo ritu celebrare præsumant.

Figuris prætereuntibus, quempiam operum indesinenter exhibitionis impendere, quid est aliud nisi amatores veritatis non esse? Vnde reprobabile id dominus per prophetam insinuans ait: Neomenias, et sabbata, et solemnitates vestras odit anima mea. Ob hoc nos, quibus ab apostolo præceptum est, ut potius in novitate spiritus quam in vestustate litteræ ambulemus, id infidelibus fideli intentione præcipimus, ut si quis iudæorum neomenias, seu festiuitates tabernaculorum, vel sabbata, ferias quoque, vel cæterarum festiuitatum solemnitates ritus sui more peregerint, vel celebrare præsumpserint, centenis flagellis subiaceant, et decalvati exsilio debilitentur ærumna; eorumque bona ad principem redeant, qualiter ea aut perfecte illis conversis aliquando restituant, aut ea, in malis perdurantibus, aliis, ut fas fuerit, servitura concedat.

VI. — Vt omnis iudæus diebus dominicis, et in prænotatis festiuitatibus ab opere cesset.

In nullo est dubium, illum manifeste fidei catolicæ adversari, qui reverentiam diebus dominicis non impendit. Vnde negatores vel destitutores fidei nostræ iustissime insequentes, id religiosa sanctione iubemus, ut sive sit iudæus sive iudæa, quodlibet opus rurale in natali domini, vel in omnibus sanctissimis solemnitatibus, seu dominicis diebus exercens, vel lanificia faciens seu quascumque operationes vel cætera talia agens, extra quam nobilium honesta christianorum consuetudo per-

mitti; præsumptor talis rei centenis verberibus subiaceat decalvatus. Quod si servi eorum vel ancillæ in talibus diebus reperiantur supradictis laboribus occupati, tunc et ipsi simili sententia sunt feriendi. Domini tamen eorum, si servos suos permiserint talia agere, C. solidos auri fisco compellantur reddere. Dies tamen ipsi, qui ab eisdem iudæis sollicita devotione sunt observandi, hi sunt, id est, festum Virginis Sanctæ Mariæ, quo gloriosa eiusdem genitricis domini conceptio celebratur: item natalis Christi et circumcissionis eius, sive etiam apparitionis: dies quoque paschæ, vel dies sanctissimi octavarum: inventionis quoque crucis dominicæ festum, et ascensionis dominicæ dies, vel pentecostes, seu etiam concurrentes per totum annum dominici et religiosa fide Christi venerabiles dies.

VII. — Ne iudæi more suo diiudicent escas.

Illud sane, quod iudæorum detestatur conversatio iudæica superstitione polluitur, mundas ab immundis iudicant escas, aliud assumit, aliud reiecit. Quicumque in huius observantiæ inventus fuerit errore, id est, ut aliter id faciat quam honesta christianis moris est consuetudo; tunc iudicis instantia, in cuius territorio actum extiterit, C. verberibus feriatur, et turpiter decalvetur. Huius sane legis omnimode præceptionis integritas, sicut de escis, ita et de poculis observanda est, scilicet ut superioris iacturæ supplicium simili quoque ordine, et illi qui a christianorum poculis se abstinere præsumpserint, patiantur. De escis tamen porcinis tantum et carnibus, id discreta nec remissa pietate decernimus, ut quicumque ex illis carnibus vesci penitus abhorrescent, si natura forte id fastidiente fugiant, et non more illo perversitatis hoc ipsum diiudicantes contemnunt, præsertim si in cæteris operibus christianis similes habeantur, et christianitatis ab eis non defuerit votum, atque operationis studium; tunc hi tales, qui fideles in reliquis conversationibus approbatur, pro hac sola reiectione suillarum carniarum ad iacturam legis superius comprehensam teneri non poterunt: quia contrarium æquitati videtur, ut quod manifesta operum Christi nobilitat fides, pro sola reiectione unius cibi ad pœnam teneantur notabiles.

VIII. — Ne iudæi ex propinquitate sui sanguinis connubia ducant, et sine benedictione sacerdotis nubere non audeant.

Nulli iudæorum in utroque sexu permittimus ex propinquitati sui sanguinis, vel uxoris suæ, atque etiam virorum, iusta legem quæ in christianis est lata, usque ad sextum generis gradum connubia ducere, vel incesti maculam operari. Huius igitur fœdæ permixtionis pervasoris tali mulctentur poena, ut separati ab invicem centena flagella suscipiant, et decalvati exsilioque religati sub poena maneant; eorumque ad filios bona, quos de præcedenti coniugio habuerint, redeant: si tamen et ipsos in nullis iudæicæ prævaricationis maculaverit noxa, et nulla incestivæ nationis sordidaverit macula. Quod si non habuerint filios, aut habitos, ut dictum est, iudæicus involverit error, vel incesti fœdaverit natio; tunc facultas prædictorum omnimode in principis potestate consistat. Illud tamen modis omnibus observandum præcipimus, ut si quis iudæus sive iudæa noviter renati, nuptiale festum celebrare voluerint, non aliter quam cum præmisso dotis titulo, quod in christianis salubri institutione præceptum est, vel sacerdotali benedictione intra sinum ecclesiæ sanctæ percepta coniugium cuiuspiam ex his adire permittimus. Quod si certe sine benedictione sacerdotis quisquam hebræorum noviter coniugium duxerit, vel solemnitatem legis pro dotali titulo in quocumque transcenderit post renovatorem baptismatis, C. solidos principi coactus exsolvat, aut C. flagella publice suscipiat. Hæc scilicet damna vel verbera singillatim unusquisque percipiat videlicet tam ille qui nupsit, quam ea quæ nupta est, vel etiam pa-

rentes eorum unusquisque pro se iacturam legis suscipiat.

IX. — Ne iudæi religioni nostræ insultantes, sectam suam defendere conantes alibi se transducant, ne quilibet refugientes suscipiat.

Iam sane, si quis iudæorum religioni christianæ insultare præsumpserit, vel christianam fidem verbis subvertere, aut sectæ suæ defendere vanitatem, nec non quisquis disciplinam fidei christianæ refugiens, aut in terram nostri regiminis se occultandum ingesserit, vel in aliis partibus se latitandum transduxerit; si quis etiam huiusmodi transgressoribus latibulum præbuerit, dum de eius fuga conscius fuerit, omnium capitulorum quisquis ille fuerit transgressor inventus, C. flagellis mulctabitur, et decalvatus, rebus eius in principis potestate reductis, exsilio conteratur ærumnis.

X. — Ne christianus a iudæo quocumque munus contra fidem Christi accipiat.

Quam sit extra fidei christianæ regulam, qui se defensore veritatis insinuat et veritatem ipsam per munere acceptionem commaculat, audiat dominum contra se per prophetam dicentem: Pro eo quod vendidistis argento iustum, et pauperem calcementis: ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno, et peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non servabit animam suam, et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor non salvabit animam suam, et robustus corde inter fortes nudus fugiens. Quis enim hic venditus argento iustus accipitur, et pauper pro calcementis, nisi unigenitus Filius Dei Patris, cuius innoxius sanguis XXX. olim a iudæis taxatus argenteis, quotidie venundatur ab illis viribus veritatis? Et ideo sunt quidam ex fidelium numero, qui quasi zelo fidei iudæorum culpas detegere, vel plectere valida se intentione promittunt, quos tamen depravat solita cupiditatis illecebra. Nam si talibus quocumque forsitan fuerit a perfidis in munerum collatione oblatum, illico reticent, et errores talium, quos iudicare et detegere ante promissum sibi beneficium nitebantur, percepto postmodum miserabili quæstu impunitos transire permittunt. Vnde decernimus nulli christiano licere cuiuscumque generis sit, vel honoris, ordinis, sive personæ, sive ex religiosi sive etiam ex laicis quocumque beneficium contra fidem Christi a quolibet iudæo vel iudæa, sive etiam per eorum internuntios sibi illatum accipere, nec se pro talium vindicatione contra regulam fidei christianæ oblati sibi præmiis implicare. Si quis autem quilibet beneficiorum exhibitione corruptus, aut agnitos errores iudæorum celaverit, aut, ne improbitas talium feriat, quolibet modo obstiterit; antiquis sine dubio patrum regulis erit obnoxius, et tantum in duplo fisci erit partibus illaturus, quantum a iudæo quisquis ille accepisse fuerit comprobatus.

XI. — *Ervgius Rex.*

Ne iudæi libros illos legere audeant, quos christiana fides repudiat.

Illis commodare lectionibus sensum, quibus fas non est præbere assensum, impietatis est potius quam pietatis indicium. Et ideo, si quis iudæorum libros legerit illos, vel doctrinas attenderit, sive abditos in domo sua celaverit, in quibus male contra fidem Christi sentitur, C. flagellis publice verberetur aut decalvetur. Qui tamen cautionis vinculo alligabitur, ne unquam talium librorum doctrinas apud se habere præsumat, aut attendere audeat, vel in studiis meditandi assumat. Iam de cætero, si post emissum placitum quocumque tale repetere temptaverit, C. flagellis subiaceat decalvatus, et sub perpetua exsilio conteratur ærumna: ut quia iam secundo visus est erroris sui iterasse vestigia, perenniter eius rescula eis deserviat, quibus principali collatione fuerit

concessa. Hæc et his similia percipiant, qui quamlibet infantiam edocere præsumpserint talia, et ut doctor ipse iniquitatis in prima transgressione deprehensus C. flagellis subiaceat decalvatus. Placiti quoque sui polliceatur cautione se talia ulterius neminem edocere. Quod si primæ huius sponsionis suæ maculare fidem præsumpserit, et ad ea quæ abiecerat repedare conaverit, omni eius facultate in principis potestate reducta, C. ipse verberibus addicetur, ac decalvatus perpetuo erit exsilio religandus. Infantes tamen ipsi, vel pueri a tantis supradictis damnis erunt alieni, si ipsam perfidiæ doctrinam infra X. ætatis suæ annos positi meditasse fuerint visi. Cæterum si post X. annos quisquis talia attendit, vel meditari vetita præsumpserit, superioris institutionis damna vel verbera adnotatus sustineat.

XII. — Ne iudæis mancipia deserviant vel adhæreant christiana.

Importabile sane satis christiano cœtui videri debet flagitium ut gens iudæica contra dominum rebellis semper et impia, christiana mancipia suis habeant servitiis religata: et versa vice, religionis nostræ honorabile Christi membrum humilietur ante filios perfidorum; sicque corpus Christi videatur obsequi Anti-Christi ministris: et cum præpostero ordine ipsi, qui nostram oppugnant moribus fidem, obsequentes habeant sub impietatis suæ errore famulos sacræ fidei nostræ. Proinde legem illam quæ a glorioso prædecessore nostro divæ memoriæ Sisebuti rege est edita, in huiusmodi causis tenendam esse sancimus, et contextum legis ipsius, excepto ubi mortis ultio ponitur, glorioso serenitatis nostræ oraculo confirmamus: qualiter prædictæ legis edicto transgressores legis ipsius prædecessores nostri regni sub perpetua maledictionis censura obstringunt. Nullus ex iudæis mancipium christianum habere præsumat, nec quidquam contra eiusdem legis monita agere audeat, excepto hoc uno, quod lex ipsa eis permittit, ut christianum mancipium iudæus audeat manumittere: quia valde indignum est, ut hi, quos cœnosa servitus perfidiæ maculat, libertatis titulum christianis imponant. Non enim est consequens, ut tenebræ lucem obnubilent, aut servitus præeroget libertati: præsertim quum hoc in primæva tantummodo editione legis ipsius, quum ad fidem primitus vocarentur, illis videatur fuisse concessum. Nunc vero sancimus per huius legis seriem, ut nullus iudæorum christianum mancipium manumittat, quia contra legis ipsius edictum, ut vere utique transgressores, christiana mancipia habere comprobantur, quibus tamen sufficiat, si pro præteritis transgressionibus non damnentur. Nam modo sane illis hæc licentia pœnitentia denegatur: quia contra legem et canonum edicta agere præsumpserint. Hoc tantum illis sine dubio more concedimus pietatis, ut a primo anno regni nostri, id est, a kal. februarii usque ad sexagesimum diem habeat quisquis licentiam venundare christiana mancipia, non tamen sine cognitione sacerdotum vel iudicum, ad quorum territoria pertinere noscuntur: ne hi, qui venundati sunt, damna mortis perferant, et hi qui venditores existant locum fraudis agendæ vel inferendæ reperiant ultionis. Iam vero a prædictis kalendis transacto prædicto sexagesimo die, nulli iudæorum licebit christianum habere mancipium, non ingenuum, non etiam servum. Sed post peractum huius temporis conlatum spatium, id est sexaginta dierum, apud quemcumque iudæum mancipia christianæ reperiantur, cum collato sibi a domino peculio per huius legis edictum erunt liberi modis omnibus permansuri, si tamen violenter se a dominis suis celatos esse probaverint. Iudæi tamen ipsi, qui, expleto temporis supradicti spatio, tenere vel occultare mancipia christiana præsumpserint, aut etiam quibuslibet aliis modis hanc sanctionem implere distulerint, aut medietatem rerum suarum fisco sociandam amittant; aut si viliores personæ fuerint, et unde component, non habuerint, centena flagella suscipiat decalvati.

Si se iudeus christianum esse testetur, et ob hoc non velit a se recedere mancipium christianum.

Si quorundam iudeorum subtilitas, timens quæstum rei suæ amittere, christiano more se intimet conversari, et ob hoc non se amittere debere dicat christiana mancipia, quia et ipse christianam videatur ducere vitam: his ordinibus comprobandum est, quo nec astuta fraus excusationem obtendant, nec sincera conversatio casum eum cæteris percipientibus perferat. Ac per hoc id omnimode sanctione præcipimus, ut omnes iudæi per universas regiones constituti ab anno primo regni nostri a kalendis februaris usque in supervenientis præsentis anni kalendas aprilis, aut vendendi christiana mancipia iuxta præmissæ legis ordinem licentiam habeant, aut si ea apud se retinere voluerint, his ordinibus se christianos ostendant. Concedimus enim eis, de quibus evidens periurii suspicio non habetur, ut habeant LX. dierum a kalendis præsentis anni aprilis spatium, in quo possint qui ex illis salvari desiderant, et christianæ fidei aggregari exoptant, ad episcopos locorum concurrere, et manus suæ subscriptionibus vel signis roborata illis suæ professionis publicare fœdera; in qua scilicet professione id quisque studeat innectere, et profiteri, ut omnes iudaicos errores abneget, et in nullo sequatur sectam suæ prævaricationis antiquæ. Quisquis igitur ex illis ex toto corde pristinos errores relinquens, ad fidem sacræ religionis conversus fuerit christianæ, cum symbolo quoque interpositione, et quod ultra ad vomitus sui nullo modo revertatur errorem, vel cætera secundum scriptum professionis ipsius ordinem, quem post hanc legem curavimus adnotare, id nullo se profiteatur exinde aliquid immutare. Hanc sane professionem ne nudis tantummodo verborum promissionibus proferat, et aliud verbo promat, aliud corde retineat, et sic in eius promissis simulatio potius, quam veritas locum suum inveniat: cura sollicita episcoporum, iudicumque ministerio, illi ipsi, qui superiores sententiam patefecerint, mox allatis conditionibus iurare debebunt, quia quæ eorum professio continet, sincero non maculato corde profiteantur. Sicque fiet ut hi tales, quos et professio cum operis effectu sacræ fidei dignos esse probaverint, et iurisdictioni pollicitatio devotos fore monstraverint, possint utpote christiani, christianis mancipiis uti. Nam non aliter poterunt christiana mancipia illorum dominio subiugari, nisi et ipsi evidentur comprobentur christiani, et frequenter christianorum escis adhæserint, et coniugia inierint. Iam vero qui post datam confessionem, reddito iuramento, iuxta superiorem tenorem christianum se devoverit esse, et in quolibet ritu iudaicæ sectæ cultor fuit inventus, et huius professionis suæ transgressor esse reperiatur, quia et nomen Domini ausus est profanare, et se iudaici erroris cæno polluere, amissis rebus omnibus et in potestatem principis redactis, C. flagella suscipiat, et decalvatus exsiliū debita conteratur ærumna. Illi tamen, qui obdurato corde, obstinatione malitiæ interclusi, si infra numerum dierum superius constitutum professionem suam publicare destiterint, aut extra prædictum tempus christianum mancipium habere præsumperint, ad damnationem præmissæ legis, quæ de christianis lata est mancipiis, ut non serviatur iudæis, tenebuntur obnoxii; id est, ut aut medietatem rerum suarum fisco sociandam amittant, aut si viliores personæ fuerint, et unde componant non habuerint, C. flagella cum decalvatione suscipiant. Mancipia tamen christiana quæ retinere apud se contra legum vetita præsumperint, vel quia ipsa se mancipia infra prædicti temporis spatium christiana fuisse non prodiderint, in eorum servitio, quibus a rege donata fuerint, perpetualiter manebunt servitura.

Professio iudeorum: quomodo unusquisque eorum ad fidem veniens indiculum professionis suæ in præsentia sacerdotis vel iudicis describere debeat.

Ego ille abrenuncio universis ritibus et observationibus sectæ iudaicæ, abominans in toto solemnitates, vel ceremonias sive observationes omnes, quas in præterito tempore usque nunc observavi et tenui: ita ut deinceps nihil de ritu vel celebritate earundem observationum exerceam, nihil de usu præteriti erroris assumam, id est, ut nec affectu talia quæram, nec opere quodcumque tale perficiam. Proinde abrenuntiatis his omnibus quæ christianitatis doctrina abominatur, et prohibet:

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visivilium omnium, et invisivilium conditorem: et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, hominison Patri, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo et quæ in terra: Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine homo factus. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, tertia die resurrexit, ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris. Iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Credo et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, ex Patre et Filio procedentem, cum Patre et Filio adorandum et glorificandum. Qui loquutus est per Prophetas. In unam sanctam catholicam, atque apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum; et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam futuri sæculi. Amen.

Hæc quæ in huiusmodi subscripta serie dicta sunt iam veraciter credens, et fideliter retinens, et cum totomenti meæ affectu amplectens, ac subscribens promitto, ut nullo unquam tempore ad vomitum superstitionis iudaicæ redeam. Numquam observationes vel ceremonias, quas soliti sunt iudæi custodire, amodo aut opere impleam, aut corde retineam, abnegans in toto iudaicam sectam, respuens in toto iudeorum perfidiam, abiciens quidquid christianam fidem impugnat. Et ita me deinceps veraciter in Sanctam Trinitatem profiteor credere, ut christiano more deinceps vivere debeam, et iudeorum fugiens amodo consortia, et cum honestis christianis me semper adiungam. Qualiter cum illis sive absque illis christianorum semper cibos accipiam et ad ecclesiam Dei vere fidelissimus christianus devotissime et frequentissime concurrere debeam, et in festivitatibus dominicis, sive etiam in martyrum festis, quæ christianæ religionis pietas observanda decrevit, ita promitto, eas ipsas festivitates devote suscipere, et cum summo amore complecti, atque in ipsis diebus semper cum christianis honestissimus interesse, sicut honesta et pia christianorum consuetudo id suscipere consuevit vel facere. Facta fidei vel credulitatis meæ profesio sub die vel.

XV.—Conditiones iudeorum ad quas iurare debeant, et hi qui eis ad fidem venientes professiones suas dederint.

Iuro primum per Deum Patrem omnipotentem, qui dixit: Per memetipsum iurabitur, et non periurabitur nomen Dei vestri, qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia, quæ in eis sunt, et mari posuit terminum dicens: usque hic venies, et hic confringes tumentes fluctus tuos. Qui dixit: cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Qui primum angelum de cœlo proiecit superbum; ante cuius conspectum adstrat omnis exercitus angelorum cum tremore, cuius aspectus arefacit abyssos; et indignatio tabescere montes facit. Qui primum hominem Adam in paradiso constituit, et ei præceptum dedit, ne de vetito ligni pomo co-

mederet, quo degustato de paradiso est proiectus, et catenæ prævaricationis vinculo se una pariter cum genere humano adstrinxit. Qui Abel sacrificium libenter accepit, et Cain digne iusteque reprobavit. Qui Enoch in huius vitæ corpore in paradiso conservans cum Elia, in extremo huius sæculi fine moriturum, et ad metam rediturum est. Qui Noe cum uxore, et tribus filiis cum uxoribus, et animalibus, et volatilibus cœli, atque reptilibus in arca tempore diluvii conservare dignatus est, per quod unumquodque genus recuperaretur. Qui de Sem filio Noe Abraham, et de eo israeliticum populum propagare dignatus est. Qui patriarchas et prophetas elegit, et benedixit patriarchis Abraham, Isaac et Iacob. Iuro per eum qui Sancto Abraham repromisit, dicens: in semine tuo benedicentur omnes gentes, dans eis signum circumcisionis in fœdere sempiterno. Iuro per Deum, qui Sodomam et Gomorram subvertit, et uxorem Loth aspicientem retrorsum in salis convertit statuam. Iuro per eum, qui luctatus est cum Iacob, et tangens nervum eius femoris, claudicare eum fecit, et dixit: non vocaberis Iacob, sed Israel. Iuro per Deum, qui Ioseph liberavit de manu fratrum suorum, et gratiosum eum fecit in oculis Pharonis, ut per eum omnis Israel salvaretur ab inopia famis. Iuro per Deum, qui Moysen de aquis liberavit, et ei in rubo ignis apparuit, et per manus ipsius decem plagas Aegypti intulit, et populum suum israeliticum de servitute Aegypti liberavit, et per mare Rubrum siccis pedibus eos transire fecit, ubi contra naturam fluentis elementi tamquam murus aqua ab eo solidata stetit. Iuro per Deum, qui Pharonem, et eius exercitum in mari Rubro demersit, qui per diem in columna nubis populum israeliticum, et per noctem in columna ignis præcessit. Iuro per Deum, qui Moysi in monte Sinai legem digitis suis in tabulis lapideis scriptam dedit. Iuro per Deum, qui montem ipsum Sinai fumare fecit, vidente populo israelitico. Iuro per Deum, qui Aaron sibi primum elegit sacerdotem, et eius filios in tabernaculo igne consumpsit, quia ignem alienum ausi fuissent offerre coram domino. Iuro per Deum, qui Dathan et Abiron suo iusto iudicio hiatus terræ viventes absorbere iussit. Iuro per Deum, qui amaras aquas admixtione ligni in saporem dulcedinis commutavit. Iuro per eum, qui sitiienti populo israelitico, percutiente Moysen virga in petra, immensas aquarum inundationes produxit. Iuro per eum, qui per quadraginta annos populum israeliticum in eremo pavit, eorumque vestimenta, ne usu attererentur, integra usquequaque servavit. Iuro per eum, qui irrevocabili iussu decrevit, ne quis de israelitico populo in terram promissionis intraret, ob hoc scilicet, quia verbis Dei non credidissent, exceptu Iesu Nave, et Caleph, quos illic intraturos promisit et prædixit. Iuro per eum, qui præcepit Moysi, ut erecta manu sua contra Malacitas victor populus israeliticus existeret. Iuro per eum, qui patres nostros per manum Iesu Nave Iordanis fluvium transire iussit, et ut duodecim lapides de eodem fluvio intestimonium tollerentur, instituit. Iuro per eum, qui omni Israeli, ut transito eodem Iordanis fluvio, lapideis cultris circumcideretur, præcepit. Iuro per eum, qui muros Ierico civitatis subvertit. Iuro per eum, qui David regni gloria decoravit; et de manu Saul et filii sui Absalonis eum eripuit. Iuro per eum, qui ad orationem Salomonis nebula templum replevit, et suam ibidem benedictionem fudit. Iuro per eum, qui Eliam prophetam per turbinem in currum igneum e terra sublevans gloriæ sedibus intulit, et per eum qui ad orationem Elisei percussu pallio Eliæ aquas Iordanis divisit. Iuro per eum, qui tres pueros in camino ignis ardentis sub oculis regis infesti conservare dignatus est; qui tenet clavem David, et claudit, quod nemo aperit, et aperit, quod nemo claudit. Iuro per eum, qui omnia mirabilia, et virtutes, et signa in populo israelitico vel in aliis gentibus fecit. Iuro per eum, et per sacra decem legis præcepta. Iuro

et per Iesum Christum Filium Dei Patris omnipotentis, sanctumque Spiritum Paraclitum, qui est in Trinitate unus, et verus Deus, et sanctam resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, eiusque ad cœlos ascensionem, et gloriosum atque terribilem eius adventum, in quo venturus est iudicare vivos et mortuos, mitis apparens iustis, terribilis autem impiis, atque eius venerandum Corpus et pretiosum Sanguinem; qui cœcorum oculos aperuit, surdos audire fecit, paraliticos ad sua membra reduxit, qui linguas mutorum resolvit, dæmonio vexatos sanavit, claudos currere fecit, et mortuos suscitavit; qui super aquas pedibus ambulavit, et Lazarum morte resolutum, quum iam in putredinem se caro solvisset, viventem eum saluti restituit, et in gaudium mutavit lamentum; qui est factor sæculi, lucis principium, salutis auctor, qui mundum ortu suo illuminavit, passione sua redemit, qui solus inter mortuos liber fuit, et a morte teneri non potuit, qui tartarea claustra comminuit, et de inferno beatorum animas præsentis suæ maiestate eripuit, qui devicta morte carnem, quam de terris assumpsit, in cœlos post mundi victoriam deportavit, sedens ab dexteram Dei Patris omnipotentis, accipiens ab eo aeternam regni potestatem. Iuro et per omnes cœlestes virtutes, omniumque sanctorum, et apostolorum reliquias, sive et per sancta quatuor evangelia, quæ subterpositis his conditionibus in sacrosancto altario sacri illius nominis contineo manibus vel contingo.

Quia omnia, quæ in professione mea renotanda curavi, vel colligere potui, quam tibi, domino illo illius sedis episcopo manu mea subscriptam dedi, sinceritate tota ibidem dixi, et sub nullo argumento vel fraude ea quæ in ipsa professione comprehensa sunt protuli; sed omni sinceritate, sicut eadem professio continet, omnes ritus iudaicæ observationis abinceps abneget, et cum omni cordis mei intentione in Sanctam Trinitatem credo, et credens perpetuum in ea permanere meipsum spondeo, et numquam consortio impietatis iudaicæ sociatus ero; sed in omnibus, et per omnia christiano deinceps more vivens, et christianorum participium habiturus sum, et quidquid in eadem professione, quam de sanctæ fidei observatione conscripsi, omni fidei puritate custodiam: qualiter iuxta apostolicam traditionem, vel sacri symboli regulam deinceps vivere debeam. Quod si in quocumque aborbits, aut sanctam fidem maculavero, aut ritus iudaicæ sectæ in quocumque observare intendero, seu vos in quocumque per huius iuramenti mei professionem inlusero, vel sub specie cuiuslibet iuramenti ea quæ promisi, non ea intentione perfecero, sicut a vobis me proficente credita vel intellecta sunt: veniant super me omnes maledictiones legis, quæ in contemptores mandatorum Dei ore domini promulgatae sunt. Veniant etiam super me, et super domum meam, et filios meos omnes plagæ Aegypti, et percussiones eius, et ad terrorem cæterorum ita iudicium Datum et Abiron super me veniat, ut viventem me terra deglutiat. Sicque, postquam hac carnero vita, me æternus ignis mancipandum cum diabolo, et suis angelis sociandum suscipiat, et cum habitatoribus Sodomæ et Gomoræ particeps in pœnale supplicium comburendus tradar, et dum ante tribunal metuendi iudicis et gloriosi principis, domini nostri Iesu Christi pervenero, in ea parte adnumerer, quibus terribilis et gloriosus iudex mirando iudicaturus est, dicens: Discedite a me maledicti, ite in ignem æternum, qui preparatus est diabolo et angelis eius. Datæ conditiones die vel æra.

XVI.—De christianis mancipiis iudeorum, quæ se non prodiderint esse christiana, sive de publicatoribus eorum.

Hebræorum mancipia religionis sanctæ titulo consecrata, et dominorum suorum qualibet persuasionem illecta, ab hoc tempore et deinceps si nullo modo se fuisse prodiderint christiana, qualiter sub eorum dominorum iugo persistent, tunc quia indultæ libertatis gra-

tiam respuerint, cui a principe collata fuerint, perpetua servitutis religata catena modis omnibus tenebuntur. Hi tamen, per quos hoc fuerit manifestissime detectum, si et ipsi cuiuslibet iudæi servi sint, conversi ad fidem Christi in libertate persistent. Si autem quilibet christianus hoc prodiderit factum, V. solidos pro unoquoque mancipio christiano accipiet ab eo, qui ea apud se post datam et decretam convictus fuerit tenuisse ordinationem.

XVII.—Ne iudæi a quolibet potestate accepta extra regiam ordinationem christianam quemquam imperare, plectere vel distringere audeant.

Nullus iudæorum administrandi, et imperandi vel distinguendi potestatem super christianos exerceat, excepto si princeps id fieri publica permiserit causa. Siquis autem iudæorum, accepta a quolibet potestate, christianum quemcumque distinguere, plectere, coercere, vel in eum deservire præsumperit, aut quidquam ei contra legum vetita, aut excogitata quæ in lege non sunt inserta, inferre tentaverit, aut medietatem rerum suarum fisco sociandam amittat, aut si nullis fultus fuerit rebus, C. flagella suscipiat decalvatus. Illi tamen, qui hanc eis potestatem super christianos exercere præsumperint, si nobilis qui hoc fecerit persona exstiterit, X. libras auri principi coactus exsolvat; si tamen minimæ vilioresque personæ, V. libras auri principi coacti exolvant. Quod si non habuerint, unde componant, centenis flagellis subiaceant, et decalvationem suscipiant.

XVIII.—Ergivius Rex.

Vt iudæorum servi necdum adhuc conversi, si ad Dei gratiam convolverint, libertati donentur.

Quum vas electionis Paulus apostolus prædicet, dicens sive per occasionem, sive per veritatem, dummodo Christus adnuntietur, salubre satis est votum, ut si cutifideles libertatis provocamus ad gratiam, ita quoque infidelibus occasionem præbeamus veniendi ad vitam. Et ideo, si quis iudæorum servus de servitute eorum et moribus ad gratiam Christi convolare desiderat, nullus eum catena servitutis retineat, nullus huic tali resistat, nullum a quolibet fidei offendiculum habeat; sed mox, ut se et professione et iusiurando atestatione christianum ostenderit, et domini sui prævaricationes manifeste prodiderit, vel respuerit, ab omni illico servitutis catena solutus cum omni suo peculio a domino suo evulsus, libertatis erit effectibus contradendus; sicque proveniet, ut in omnibus omnino rebus ordo ille omnis in eum impleatur, qui de christianis est mancipiis constitutus.

XIX.—Ne iudex administratorio usu sub ordine villicorum atque actorum christianam familiam regere audeant, et de damnis eorum, qui talia his ordinantia iniunxerint.

Si quis iudæorum a quolibet ex laicis commissam curam, vel potestatem super christianos accepit, ut christianis familiis præsit, quidquid administrationis suæ cura visus fuerit imperare, totum fisco applicare debet: ita ut ipsi, qui hanc administrandi susceperint curam, C. flagella et decalvationem suscipiant, et medietatem rei suæ fisco sociandam amittant. Sane si episcopus, vel quilibet ex sacerdotibus, seu ministris, clericis quoque, vel monachis administrationem ecclesiasticæ rei illis super christianos explendam iniunxerint, quantum id ipsum fuerit, quod imperandum eis præceperint, tantum de bonis proprietatis suæ fisco nostro applicandum amittant. Quod si rebus exspoliatus exstiterit, exsilio subiacebit, quod diutius detentus pro pœnententiæ discat damnis, quam sitimpium, infidos fidelibus præponere christianis.

XX.—Vt iudæus ex aliis provinciis ad regni nostri ditionem pertinentibus veniens, episcopo vel sacerdoti, seu iudici se presentare non differat; vel quid huic in toto observare conveniat.

Si quis iudæorum de alia civitate vel provincia nostræ

gloriæ oriundi, quolibet succederit loco, episcopo vel sacerdoti sive iudice loci illius se illico repræsentent, tamdiu inde non recessuri, quandiu sabbata ritusque cæteros atque festivitates, quæ ille e vicino possunt occurrere, incontaminati videantur sacerdotali testimonio transegisse, ne dum variis huc illucque per loca cursibus promoventur, erroris sui reperiant in quocumque latibulum. In ipsis tamen diebus, in quibus eos quolibet loco remorari contingerit, conversationem cum christianis probatissimis habituri sunt, qualiter cum illis et cibos sumere, et participationem communionis christianæ videantur habere. Concursus tamen in ipsis diebus, quibus ritus sui more uti soliti sunt, ad ecclesiam, episcopos, vel sacerdotes habeant, qualiter eorum salutaribus monitis instruantur. Quod si forte placitorum inordinatione se esse asserant ligatos, vel cuiuslibet inevitabilis necessitudinis causa constrictos, quod illis non liceat diutine immorari; tunc a sacerdote ipsius loci, ad quem accesserant, relaxati placiti sui cautionem promittat, ut ubi occurrentes per viam festivitates vel sabbata ritus sui, sine testimonio sacerdotis non transeant. Ipse quoque sacerdos loci epistolam manu sua subscrip-tam eisdem sacerdotibus, per quos se iudæus quisquis ille transiturum dixerit, destinabit: ut evacuata omni fraudis suspitione, tam stantes, quam properantes eos districtio religiosa coerceat. Si quem autem eorum aliter egisse contigerit, tunc episcopo loci ipsius, vel sacerdoti una cum iudice potestas tribuitur, centenis verberare eos flagellis, nec aliter eos ad propria redire permittimus, nisi cum epistolis episcoporum, vel sacerdotum, in quorum territorium visi sunt accessisse. In quibus tamen epistolis sollicitè dierum summa notabitur, id est ex quo die ad episcopum ipsius civitatis accesserint, et quot diebus apud ipsum remorari eos contigerit, vel quo die ab eo ad propria reversuri exierint.

XXI.—Qualiter conventus iudæorum in diebus institutis ad episcopum fieri debeat.

Omnis iudæorum conventus, in quibuscumque locis vel territoriis habitare videantur, ad episcopum loci, vel sacerdotem diebus sabbatorum, vel cæterarum festivitatum, quas celebrare solent, concurrere, et convenire debent, nec in his talibus diebus concessa sibi licentia pervagationis usuri sunt; sed quamdiu excursus dierum ipsorum pertranseat, de quorum celebritate suspicio vertitur, alibi citra sacerdotis sui conniventiam nullo modo movebuntur. Diebus tamen sabbatorum concursus eorum, et lavacro nitidus, et perceptione benedictionis devotus, ad episcopum vel sacerdotem semper est pervertendus. Sane in locis illis ubi sacerdotalis præsentia defuerit, concursus eorum omnis, vel conversatio, aut cum iudicibus, aut cum christianis honestissimis erit: qualiter sic eorum societati inhæreant, ut audacter de eorum conversatione bonum perquisiti testimonium dicant. Mulieres sane iudæorum, coniuges scilicet, atque etiam filie in præmemoratis omnibus festivis diebus, quibus errore proprio abutuntur, ne ullius erroris, vel pervagationis reperiant locum, id omnimode servabunt, ut viris earum præsentibus provida episcoporum, vel sacerdotum in eis ordinatio fiat; ut quemadmodum viri earum de præsentia sacerdotali se non differunt, ita et ipsæ, facto concursu, omnibus diebus festivitatum suarum electione sacerdotum, atque pontificum, cum quibus, vel qualibus honestissimis feminis christianis commorari debeant, ordinentur. Si quis autem huic præceptioni visus fuerit evenire contrarius, publice centenorum flagellorum erit supplicii ferendus, atque decalvandum. Id tantum præcipue observandum est, ne quorundam sacerdotum carnalium corda, dum virus libidinis execrabili contaminatione exagitat, occasiones quaslibet incurant, per quas libidinis suæ votum efficiat. Vnde id arctiori sanctione decernimus, ut sic omnis sacerdos hæc instituta legum nostrarum in iam dictis feminis he-

bræorum adimpleat, ut nullius peculiaritatis locum cum eisdem feminis habeat, per quod se sordidare cum eis intendat. Quod si quemlibet sacerdotum contigerit, ut zelum, quo pro christiano nomine uti debeat, frequenter ad libidinis suæ occasionem usurpet: tunc sacerdos ipse ab honore depositus, exsilio erit perpetuo mancipandus.

XXII.—Flavius Ergivius Rex.

Vt quicumque iudæum secum obsequentem habuerit, petente sacerdote, eum apud se retinere non audeat.

Si quis laicorum quemlibet ex iudæis, virum scilicet vel feminam, secum obsequentem habuerit, vel in patrociniis retinuerit, et sublato ex eis pontificum vel sacerdotum privilegio, privata eos sua potestate defendere, neque eos ad episcopum vel sacerdotem debitis diebus instruendos vel iudicandos remiserit, excommunicationis ab eodem episcopo, cui id fecit, sententia feriat: et amissis illis, quos vindicare nititur, trium librarum auri multatione pro unoquoque damnabitur, quæ partibus principis profuturæ manebunt.

XXIII.—Vt cura omnis distinguendi iudæos solis sacerdotibus debeat.

Horum omnium præceptorum multiplicem curam, et exercendam in perfidis disciplinam, illos nostra gloria, ut impleant, exhortatur, quibus id agendum divina auctoritate committitur. Ait enim spiritus ille, cuius veritas orbem implet: stabunt sacerdotes in iudiciis meis, et iudicabunt leges meas, et præcepta mea: proinde omnibus sacerdotibus hæc, quæ hic a nobis complexa sunt, implenda decernimus, ita ut nullum iudæorum pro ritu suo patiantur a quolibet defendi, nullumque tueri, sed exemptos ab eorum patrociniis, quorum tueri favoribus videntur, in potestatem suam redactos pro eorum salvatione, quid illis catholice agendum fore conveniat, diligenter instituant: atque in hoc illis erit sollicitior cura, ne in quibuslibet supradictis capitulis hæc institutio nostra tepescat.

XXIV.—De damnis sacerdotum vel iudicum qui in iudæos instituta legum implere neglexerint.

Consulendum pie est sacerdotibus ecclesiæ divinæ, ne pro delictorum populi impunitate teneantur obnoxii. Quid enim prodest, si non puniatur quisque suo, quum possit tamen alieno puniri peccato? Et ideo ad eorum talium incuriam excitandam huius præceptionis sanctione decernimus, ut si quilibet pontificum, aut cupiditate inlectus, aut malignæ voluntatis incuria tepidus prædicta hæc, quæ iussa sunt in iudæos decreta, noluerit adimplere, scilicet, ut detecta vel nuntiata sibi met errata perfidiæ nulla videatur æquitatis corrigere censura; et trium mensium excommunicationis sententiam perferat, et unam libram auri de suis rebus propriis fisco sociandam amittat: quod si non habuerit unde componat, sex mensibus sub excommunicationis censura persistat, et insuper ad tepiditatem illius incuriæ corrigendam sit cuiuslibet episcopo licitum, in quod zelus Dei fuerit excitatus, vice illius episcopi, talium perfidorum errata corrigere, et hæc quæ ille neglexerat emendare. Quod si aliena simulatio, vel incuria episcoporum aliorum in alterius correctione, zelo hæsitante, distulerit emendare, diutiusque fuerit in eis hæsitatum, ut sibi commissa differant corrigere; tunc principis præceptione eorum episcoporum arguatur socordia, et perfidorum ulciscantur errata. Hic etiam ordo eodem modo, eodemque ordine, sicut superius de episcopis constitutum est, in cæteris quoque religiosis observandum est; id est, in presbyteris, diaconibus, vel etiam clericis, quibus horum infidelium ab episcopo suo cura regendi commissæ est. Iudices tamen, qui eorumdem iudæorum crimina comperta, vel nuntiata sibi exstiterint, et legali continuo non damnaverint ultione, tunc sicut et de episcopis consti-

tutum est, unam libram auri fisco persolvant. Tunc tamen sacerdotes, vel iudices, vel supradicti, omnes quibus regendi cura commissæ est, ab his damnis erunt penitus alieni, cum impeditos se fuisse pro talium distinctione a rege probaverint.

XXV.—Ervigius Rex.

Ne iudices quicumque de perfidorum excessibus extra sacerdotum conniventiam iudicare præsumant.

Iudices omnes nihil de perfidorum excessibus citra sacerdotis conniventiam iudicabunt, ne cupiditas ecclesiarum fidem sanctam maculet acceptione munerum: et tamen, si ut adsolet, præsentia defuerit sacerdotis, sola potestate iudicum distinguendi sunt. Sane si episcopum a sede sua contigerit, aut in vicino, aut longe forsitan progredi, talem ex sacerdotibus pro sui vice relinquat, qui una cum iudice territorii hæc instituta sine muneris acceptione perficiat.

XXVI.—Vt episcopi tunc immunes habeantur a damnis horum, cum presbyteri ea quæ ipsi non correxerint, ad eos non remiserint corrigenda.

Presbyteri, diaconi, seu cætera religiositas universa, vel iudices universi per diversa loca vel territoria constituti, prout unusquisque conventus iudæorum ad se pertinere cognoverit, secundum totius institutionis nostræ decreta eos distinguere, vel coercere non differant: ea vero, quæ ab ipsis nequiverint corrigi, ad cognitionem principis, atque pontificum emendanda reducant; sicque fiet, ut constituta damna non perferant, si suis unusquisque hæc pontificibus innotescat. Episcopi quoque ipsi tunc erunt immunes a damno, quando eis crimen talium non fuerit per subditos nuntiatum.

XXVII.—Ervigius Rex.

De servata principibus potestate miserendi in his, qui conversi ad fidem Christi veraciter fuerint.

Hac sane præceptorum multiplici diligentia, quam ordinatis lineis superius in toto decrevit nostra serenitas, ubicumque superius offensorem culpas ita moderari decrevimus, ut exutos rebus sub exilii ærumna religemus: hanc nobis vel successoribus nostris miserendi licentiam reservamus, ut si quemcumque a laqueis diaboli ex eis respisci contigerit, et probabiliter in Sanctam Trinitatem crediderint; hoc quod de illis sacerdotibus vel iudicibus, in quorum territoriiis degunt, testimonium adnexerint, atque opera eorum cum veridico eorum testimonio adprobaverint concordare, erit nobis, nostrisque successoribus in his et talibus, et miserendi votum, et efficiendi propositum: id est, ut postquam eorum professio cum iuratione, aut testatione regiæ agnitioni claruerit, licitum habeat principalis potestas, et rebus eos iterum investire, et ab exiliorum ergastulo revocare. Iam vero, si quis ex eis postquam se professus fuerit esse christianum, ad erroris sui proprii redierit vomitum, et quodcumque in eo repertum fuerit prævaricationis indicium, ita in eos secundum modum culpæ, quem incurrit, irrevocabilis dictabitur damnationis sententia, ut ad veniam ultionis nullatenus redeat; sed sive capitalis, sive minoris culpæ dignus sit pœna, sine ulla retractatione irremisibilem legem suscipiat.

XXVIII.—Vt episcopi omnibus iudæis ad se pertinentibus libellum hunc de suis erroribus editum tradant, et ut professiones eorum vel conditiones in scriniis ecclesiæ recondant.

Solet interdum latebrosæ mentis perversitas ignorantie opponere angulum in eo, quod se simulat ignorare præceptum, ut eo quodammodo excusabilem se a pœna pronuntiet, quod se novellæ sanctionis ordinem defendit penitus ignorasse: et ideo ad huius excusationis evellendam malitiam ab episcopis omnibus, vel sacerdotibus tenendum fore præcipimus, ut unusquisque conventum ad se pertinentem iudæorum de institutionibus,

quas in eorum perfidiam nuper edidimus, instruat, et libellum eis huius operis tradat, qui et manifeste illis in conventu relegantur ecclesiae, atque semper secum pro testimonio instructionis reportent. Iam vero, postquam illis publice in ecclesia fuerit lectus liber iste, vel traditus, si quis eorum postea, aut se defuisse, quum legeretur, contendant; aut ignorasse, quae inibi praecipitur, asserat: nulla se ulterius poterit excusatione de-

fendere; sed in quocumque postea fuerit quisquis ille praevericator inventus, in nullo erit harum legum sententiam evasurus. Nam et illud necessario huic legi adiciamus, ut omnium professionum, atque conditionum scripturas, quas quisque ille iudaeus sacerdoti suo amodo obtulerit, sollicitè unusquisque sacerdos in actis suae ecclesiae condant, qualiter pro eorumdem perfidorum testimonio studiosius conservare persistat.

INDEX

LIBRORUM AC TITULORUM QUI IN FORO IUDICUM CONTINENTUR.

PRIMUS TITULUS.

De electione principum et de communione eorum qualiter iuste iudicent vel de ultore nequiter iudicantium. pag. 1

LIBER I.

DE INSTRUMENTIS LEGALIBUS.

I. *Titulus.* De legislatore. pag. 1
II. De lege. lb.

LIBER II.

DE NECOTIIS CAUSARUM.

I. *Titulus.* De iudicibus et iudicatis. pag. 2
II. De negotiorum exordiis. 9
III. De mandatoribus et mandatis. 11
IV. De testibus et testimoniis. 12
V. De scripturis valutaris et infirmandis, ac defunctorum voluntatibus conscribendis. 14

LIBER III.

DE ORDINE CONJUGALI.

I. *Titulus.* De dispositionibus nuptiarum. pag. 17
II. De nuptiis illicitis. 18
III. De raptu virginum vel viduarum. 20
IV. De adulteris. 21
V. De incestis, et apostatis atque masculorum concubitoribus. 23
VI. De divitiis nuptiarum, et discidio sponsorum. 25

LIBER IV.

DE ORIGINE NATURALI.

I. *Titulus.* De gradibus. pag. 26
II. De successioneibus. lb.
III. De pupulis et de eorum tutoribus. 29
IV. De expositis infantibus. 30
V. De naturalibus bonis. lb.

LIBER V.

DE TRANSACTIONIBUS.

I. *Titulus.* De ecclesiasticis rebus. pag. 32
II. De donationibus generalibus. 34
III. De patronorum donationibus. 35
IV. De commutationibus et venditionibus. lb.
V. De commendatis et commodatis. 37
VI. De pignori et debitis. 39
VII. De libertatibus et libertis. lb.

LIBER VI.

DE SCELERIBUS ET TORMENTIS.

I. *Titulus.* De accusatoribus et criminosis. pag. 42
II. De maleficis et consulentibus eos, atque de veneficis. 43
III. De excusantibus hominum partus. 44

IV. De contumeliis, vulnere et debilitatione hominum. pag. 44
V. De caede et morte hominum. 46

LIBER VII.

DE FURTIS ET FALLACIIS.

I. *Titulus.* De indicibus furti. pag. 49
II. De furibus et furtis. 50
III. De usurpatoribus et plagiatoribus mancipiorum. 52
IV. De custodia et sententia damnatorum. lb.
V. De falsariis scripturarum. 53
VI. De falsariis metallorum. 54

LIBER VIII.

DE ILLATIS VIOLENTIIS ET DAMNIS.

I. *Titulus.* De invasionibus et direptionibus. pag. 55
II. De incendiis, et incensibus. 56
III. De damnis arborum, hortorum vel frugum quarumcumque. 57
IV. De damnis animalium vel diversarum rerum. 59
V. De pascendis porcis et animalibus denuntiandis errantibus. 62
VI. De apibus et earum damnis. 63

LIBER IX.

DE FUGITIIS ET DE REFUGIENTIBUS.

I. *Titulus.* De fugitivis et occultatoribus fugamque praebentibus. pag. 63
II. De his qui ad bellum non vadunt, aut de bello refugiant. 66
III. De his qui ad ecclesiam confugiunt. 69

LIBER X.

DE DIVISIONIBUS ET ANNORUM TEMPORIBUS ATQUE LIMITIBUS.

I. *Titulus.* De divisionibus et terris ad placitum datis. pag. 69
II. De quinquagenarii et tricenalis temporis intentione. 71
III. De terminis et limitibus. 72

LIBER XI.

DE AEGROTIS ATQUE MORTUIS ET TRANSMARINIS NEGOTIATORIBUS.

I. *Titulus.* De medicis et de aegrotis. pag. 75
II. De inquietudine sepulcrorum. lb.
III. De transmarinis negotiatoribus. lb.

LIBER XII.

DE REMOVENDIS PRESSURIS, ET OMNIUM HAERETICORUM OMNIMODÒ SECTIS EXTINGCTIS.

I. *Titulus.* De temperando iudicio et removenda pressura. pag. 74
II. De omnium haereticorum atque iudeorum cunctis erroribus amputatis. lb.
III. De novellis legibus iudeorum quo et vetera confirmantur et nova adjecta sunt. 78